



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 31. Legati Pontificii oratio in comitiis habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

urbis milite trucidati fuerunt, quasdam Sæcul. XVI. A.C. 1542.
 utriusque hujus Principis literas inter-
 ceperat, easque explicatis, quibus ex-
 aratæ erant, notis occultis ad Ferdinan-
 dum Romanorum Regem transmisit, si-
 gnificans, quod ambo hi Gallorum Le-
 gati a Rege haud alio ex fine fuissent
 missi, nisi ut Venetos ad violandum,
 quod cum Cæsare inierant, fœdus in-
 ducerent, ipsumque Solimanum ad bel-
 lum Cæsari terra marique inferendum
 inclinarent: cum igitur Oliverius Fran-
 ciæ Legatus se ceterorum, quibus sin-
 ceram Galliarum Regis voluntatem fal-
 so persuadere moliebatur, irrisioni ex-
 positum cerneret, suamque orationem
 a Principibus Spiræ congregatis non si-
 ne indignatione exceptam fuisse probe
 intelligeret, hinc Comitii nondum so-
 lutis protinus inde discessit, ac sinistram
 demandati negotii successum vehemen-
 ter indignatus in Franciam reversus
 est.

§. XXXI.

*Legati Pontificii oratio in comitiis
habita.*

Pariter in hisce comitiis Joannes Mo-
 ronius summi Pontificis Legatus or-
 rationem habuit; is enim de Pauli III.
 Papæ sententia a Ferdinando rogatus,
 hunc in modum die vigesima tertia Maji
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. D per-

Sleid. p 461.
Belc. l. 23. u. 4

Sæc. XVI. perorabat: *Cæsar anno superiori, cum in*
A.C.1542. *Africam iret, facto per Italiam itinere age-*
bat cum Pontifice de bello Turcico, deque
Concilio: ast cum & ardua res esset & gra-
vis, & Cæsar festinaret, nihil fuit decre-
tum, remansit tamen in Italia Granvellanus
quocum amplius deinde actum est negotium.
Ac Pontifex quidem semper optavit bellum
Turcicum, ejusque rei causa operam dedit,
ut pacem omnes colerent: nunc etiam totus
in hoc est, ut quæ ipsius potissimum interces-
sione pacis sunt inter Cæsarem & Gallia-
rum Regem, induciæ servarentur: cum au-
*tem varia de apparatu Turcico diff-
 minentur, neque certo constare possit, quorsum evadat,*
suppeditabit Papa millia quinque peditum, si
Cæsar ipse militiæ præsit, sin autem, ejus
summæ dimidium, atque ita quidem egit cum
Granvellano. De Concilio autem, quæ
semper ante fuit, eadem quoque illius est mens
atque sententia, ut aliquando Concilium per-
agatur: adhuc illud quidem suspendit de
Cæsaris & Ferdinandi quoque Regis assen-
su, eoquod ad concordiam aditus aliquis in
Germania patefieri posse interea crederetur:
cum vero id frustra susceptum sit, ad prius
institutum redit Pontifex, sed ut in Germa-
nia cogatur, neque ipsius ætas fert, cum ve-
lit & debeat interesse, viæque longinquitas
obstat, cælique mutatio: Deinde Germania
non omnibus populis videtur commoda, me-
tusque est, ne turbulenta sit actio futura:
 ma-

magis igitur ei probatur Mantua, aut Fer-
 raria, aut Bononia, aut Placentia, quæ
 amplæ sunt civitates ac peropportunæ: ve-
 rumtamen si minus hæ placeant, non recusat
 Papa, quin Tridenti fiat, cum hoc sit vicin-
 um Germanicæ finibus oppidum: Voluit
 quidem Pontifex Synodo initium fieri ad
 Pentecosten, sed propter temporis angu-
 stias ad Idus Augusti producit, oratque,
 ut depositis offensionibus hanc in curam
 omnes incumbant.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1542.

§. XXXII.

*Tridentina urbs pro Sede Concilii
 proposita atque acceptata.*

Ad hæc Ferdinandus, ceterique Princi-
 pes Catholici unacum Imperii Vi-
 carius summo Pontifici ob pia ejusdem
 consilia ingentes rependebant grates, si-
 bique Tridentinæ urbis selectum place-
 re affirmabant, eo quod nulla alia civi-
 tas, cum Synodus Ratisbonæ vel Co-
 loniæ haberi non posset, magis idonea
 in Germania reperiri valeret: Ex ad-
 verso autem Protestantes non tantum
 Concilio per Papam convocando, sed
 etiam loco, ubi Synodus haberetur, se-
 se opponebant, palam declarantes, se
 nunquam permissuros, ut in Comitio-
 rum Decreto hac de re mentio fiat: un-
 de discussis aliis quibusdam civilibus
 negotiis die undecima mensis Aprilis

Sleid. l. 14.

p. 426.

Pallav. l. 4.

c. 17 n. 9.

Cochl. in act.

et script.

Luth. anno

1542. p. 303.